Sit notum omnibus quod nos Petrus geraldi de milariis parrochie de ?uremagni et Raymunda uxor eius simul gratis et ex certa sciencia per nos et omnes nostros heredes et successores presentes atque futuros vendimus et cum hoc presenti instrumento liberamus tradimus vobis domine Raymunde uxori condam Ar. de Cippariis(?) militis et fratri Petri Sagartorie(?) Comendatori hospitalis novi Gerunde licet absentibus tamquam presentibus et vestris et quibus volueritis imperpetuum unam tascham explectorum cuiuscumque generis sint de omnibus honoribus et possessionibus totius mansi nostri vocati de na Crasthaross(?) quem habemus et tenemus pro vobis in dicto loco de milariis et in parrochia antedicta. Quam vendicionem vobis et vestris facimus pro ut de dicta tascha omnium agrariorum que deus dederit in omnibus honoribus et possessionibus dicti mansi, videlicet unam medietatem dicte tasche cum introitibus et exitibus suis prout melius dici vel intelligi potest ad vestrum comodum et vestrorum. Pro precio sexaginta sol. barch. in monete de terno quos a vobis numerando insolidum recepisse confitemur. Exceptioni non numerate et non recepte peccunie renunciando. Dando et remittendo inde vobis et vestris siquid quod presens vendicio amplius modo valet vel valebit de cetero precio antedicto. Renunciando legi qua deceptis ultra dimidiam iusti precii subvenitur et omni alii iuri quo predicta in aliquo obviaret. Mittendo inde vos in presenti cum hoc publico instrumento in corporalem et vacuam possessionem vel quasi ad habendum tenendum et perpetuo possidendum et ad omnes vestras vestrorumque voluntates perpetuo faciendas. Salvo iure et dominio nostro et nostrorum successorum in omnibus et per omnia. Sine aliquo retentu et contradicimento que ibi vel inde non faciamus ullo modo. Dando et cedendo inde vobis et vestris omnes voces iura rationes et omnes actiones nostras reales et personales nobis ibi competentes vel competituras. Constituentes nos predicta vestro nomine possidere vel quasi donec eorum corporalem acceperitis possessionem quam licet vobis accipere et deinde perpetuo retinere et facere omnes vestras vestrorumque voluntates perpetuo faciendas. Et sic vobis promittimus bona fide quod totam predictam vendicionem ut superdictum est faciemus vobis et vestris habere et tenere in pace contra omnes personas. Verumtamen si aliquis ibi aliquid vobis vel vestris petierit exigerit contempserit perturbaverit inquietaverit seu questionem vel demandam contra vos vel vestros moverit vel fecerit nos et nostri ante ingressum litis statim promittimus inde ante vos et vestros ponere et honus litis suscipere nos et nostros propriam et totam causam ad effectum ducere a litis ingressu usque in finem et servare inde vos et vestros indempnes cum nostris propriis missionibus et expensis in curia et extra in iudicio et extra. Promittentes vobis et vestris omnes expensas et missiones dicta litem faciendo et omnia dampna restituere et credemini inde vestro simplici verbo sine sacramento et testium productione. Et tenemur vobis de evictione et omni interesse. Et pro dicta evictione et omni interesse et omnibus aliis et singulis superdictis obligamus vobis et vestris in posse notarii infrascripti tanquam publice persone recipientis et stipulantis a nobis etiam superdicto nomine vestro et omnium quorum interest vel interesse potest iurisdictionem insolidum et proprio renunciantes beneficio dividende actionis omnia bona nostra habita et habenda ubique. Iurantes per deum et eius sancta .iiii. euvangelia corporaliter a nobis tacta predicta omnia attendere et complere. Renunciando ego dicta Raymunda super hiis beneficio velleyani senatus consulti et legi que loquitur de rebus dotalibus prohibet alienacione. Renunciantes super hiis omni exceptioni doli et condicioni indebiti et sine causa et omni alii iuri quo predicta in aliquo obviaret. Actum est hoc .vi. kalendas decembris anno domini .m. ccc. tredecimo. Sig+num dicti Petri geraldi. Sig+num dicte Raymunde uxoris eius. Qui hoc laudamus et firmamus.

Testes sunt Guillelmus filius condam Bn. Ferrarii de ?onellis et Bernardus filius Jacobi Ferrarii de eodem loco.

Sig+num Jacobi martini notarii publici de ?onellis. Qui hoc scripsit et clausit cum litteris rasis et emendatis in .xxi. linea ubi dicitur: omnia. et in .xxiii. linea ubi dicitur iura contra.

26-11-1313

nº 445

N.º 7. del [illegible] de [illegible]

[illegible] de madramanya [illegible]

[illegible] a la señora ramona [illegible]

[illegible] rebedora [illegible]

[illegible] de [illegible] mascarona

de millas [illegible]

AC f. 173 r

AMV p. 36

Nº 79.

T. 283 x 255

460